

Q. 149, 3.

(X202 0872)

Yb
1020

Q. D. B. V.
BREVIS
GORLICII,

FAMIGERATISSIMÆ

IN

AGRO HEXAPOLITANO
URBIS,

DESCRIPTIO,

URBI ΚΟΥΡΟΤΡΟΦΩ

DEBITUM IN HONOREM,
SED STUDIOSE JUVENTUTI
PERENNEM IN MEMORIAM,
APHTHONII SOPHISTÆ DUCTU
SCRIPTA,

INQVE

PANEGYRI GREGORIANA,

ANNO MESSIANO cIs Isc XCII,

PAULO POST. KAL. MAJI,

P. P.

CHRISTIANO FUNCCIO,

GYMNASII GORL. RECT.

GORLICII LITERIS ZIPPERIANIS.





L. S.



Ta videlicet, quicquid etiam regerant
secus sentientes, est: quòd laudes ac vi-
tuperia non semper ex merito tribuan-
tur rebus. Estq; id omnino notius: quàm
ut Experientiam, cotidianam rerum,
vel etiam stultorum, Magistram, locu-
pletioris heic fidei advocemus testem.
Tribuitur namqve non rarò laus rei etiam abjectissimæ:
quin imò & rei pessimæ laus quædam tribuitur. Lauda-
tum hinc in *Amphitheatro Sapientia Socraticæ Joco-seriæ*,
à **CASPARE DORNAVIO** congesto, legimus asinum:
pulicem & culicem ibi legimus laudatum. Laudatum
ibidem à non paucis pediculum quoque, scarabæ-
um, gryllum, legimus: legimus laudatam febrim, lau-
datam podagram, laudatam moriam: & quas res alias,
abjectas partim, partim malas, non legimus in eodem
Amphitheatro laudatas? Nihilominus ipsissima vitia mo-
ralia, ut specie virtutum incauti fallantur, exulceratò
hoc ac perversò Seculò ab hominibus, qui de mundo hoc
sunt immundo, seriò laudari audimus. Audimus lau-
dari hodie Audaciam sub Fortitudinis, Avaritiam sub Par-
simoniæ, Prodigalitatem sub Liberalitatis, Intemperan-
tiam

tiam sub Hilaritatis, Superbiam & Ambitionem sub alicujus Generositatis specie. Vituperantur contra ea haut semel optima quæque. Gravitationem nempe Superbiæ, Parsimoniam Avaritiæ, Fortitudinem Audaciæ, Temperantiam Stupiditatis nomine ac titulo vituperant multi: quibus Virtus parum curæ est cordique, aut qui nescire malunt:

— *quid distent æra lupinis.*

Sic item Personæ quoque aliàs laudatissimæ vituperio aliorum sæpissimè subjacent: id quod vel uno B. nostri Megalandri, LUTHERI, toties ab Adversariis nostris omnis vituperii, dicam, convitii omnis potius, genere proficisci, exemplò liquet. Subjacet ad hæc vituperio magno ap. CORNELIUM AGRIPPAM, *Librò de Vanitate Scientiarum*, Scientiarum & Artium omne genus: ac si id malum esset, à Cacodæmone in perniciem hominum repertum æquè ac introductum. Nec alienæ, quod è *Consultationibus de Principatu inter Provincias Europæ*, operâ ac studio TH. LANSII factis editisq; patet, à vituperio hominum Provinciæ Provinciarumque præcipuæ sunt Urbes: licet illis aliàs nihil, quod ad amœnitatem, ad fertilitatem, ad salubritatem, ad splendorem, ad reliquam quoque loci felicitatem pertinet, desit. Atverò, quum inter Urbes Lusatiæ utriusque, & Superioris & Inferioris Lusatiæ, GORLICIUM nostrum, tertia propè sui parte, superiori eodemque & dudum elapso Annò, unà cum laudatissimo suo Templo repentina Vulcani rabie miserimè exustum, potiolem tamen partem restaurari cœptum, ap. Exteros quoque, Italos nominatim & Gallos, Batavos & Anglos, passim sit decantatissimum, dabitur mihi à Benevolis Lectoribus in horna PANEGYRI

A 3 GRE-

GREGORIANA hæc scribendi venia, nemini fortassis molesta, æqvis verò censoribus omnibus grata & accepta: ut brevissimis Capitibus aperiam, vel inquiram potius eâ, quâ fieri potest, brevitate: *Laus sua Urbi eidem, an congruat, vel secus?*

Faciam Ego eqvidem, quod solent, qui terrarum situs pingunt, facere, inque brevi qu. Tabula potissima, laudis Capita, ad fidelissimū Aphthonii Sophistæ ductum, summatim perstringam. Nonnihil enim hoc pacto ad prolixiorem GORLICII laudem me quoque collaturum, spero: si strictim rem omnem ac carptim prosequar.

Omniū Rerum parva esse initia, GORLICIUM nostrum suo comprobat Exemplō. Ibidem enim loci, ubi urbs hæc condi cœpit, pagus quondam cum tribus cauponis fuit, *Drebenau* dictus, à Slavica voce *Drebo*: quâ lignum appellatur. Etiam si verò tam strictè de Anno U. C. inter Annalium Scriptores nondum satis constet: tanquam auspex tamen conditi primū GORLICII Annus ille, supra Æræ Christianæ millesimum ac centesimum Annum, trigessimus primus constanter in Annalibus Gorlicensibus constituitur: qui sextus est Lotharii, ex Illustri Ducum Saxonæ Familia oriundi Imperatoris, Annus. Audiamus nostros, si volupe sit, Annales. Sic enim in his relatum legimus: *Anno MCXXXI. primò cœpit GORLICIUM mœnibus, turribus, fossis muniri, auxiliō quidem Sobieslai Ducis: fuitque ejus primū nomen Tschorlis.* Nimirum Sobieslaus, in Lusatiam Superiorem cedens, GORLICIUM, ut plerique volunt, condidit, vel potius, juxta MYLII nostri sententiam, in ruinis vetustissimæ villæ DREBENOVIAE instauravit, idque *Tschorlis* / vel, ut Annales habent, *Tschorlis* primū vocavit. Heneta vox hæc est: è qua deinceps recens nomen

men **Gorlitz** / immutatō nonnihil per Euphoniā sonō,
deflexum, constanterqve in hunc usqve diem usurpatum.
Quid ē dictis ergō liquet? Liquet profectō liquido
Sole liquidiūs: **GORLICIUM** nostrum ē villa vicum,
ē vico pagum, ē pago ante aliquot Seculorum decursum
factum esse urbem: donec sua temporis progressu cape-
ret augmenta, in eam tandē, quā hodie, sed longē inferiori
quā antihac, facie induta cernitur, pedetentim, pau-
latim, gradatim, ut ne saltum aliquem, æquē ac Natura
hunc facit nunquam, faceret, magnitudinem excrecens.

Agite verō, L. B. ō agite mecum, & immensa jam
GORLICI nostri, ē parvis initiis tam feliciter quod ex-
creverat, commoda videte. Usu si metiamur alioquin
omnia: facile hunc metiri possumus: si ingentia spectemus
commoda: quæ ex una hac urbe in Ecclesiam, quæ in
Politiam, quæque & in Vitam promanarunt communem.
Cimelia Urbis, **CURIA** cum primis ac **SCHOLA**,
ea ipsa copiosissime ostendunt & clarissime. Suppeditavit
semper, quā à dotatore suo Augusto Augustam non im-
merito vocamus, **SCHOLA** ex se, velut ex Eqvo Trojano
armati olim milites prodibant, prodeuntes Viros: qui
præessent Ecclesiis salutariter: qui admoverentur gu-
bernandis Rebus publ. feliciter: qui ornarent Aulas ele-
ganter: qui, veri ipsi Justitiæ Sacerdotes, Justitiam in fo-
ris administrarent fideliter: qui sanitati ac vitæ hominum
tuendæ velificarentur diligenter: qui Scholica tenerent
Sceptra prudenter: qui Res domesticas curarent utiliter.
Suppeditavit & **CURIA**, à tot retrō Seculis bene constitu-
ta, Civibus disciplinæ honestatem: suppeditavit semper
& è Communi & è Municipali Jure jura, exercuitq; judicia:
quibus advenæ æquē ac Urbis incolæ uterentur, fru-
erentur.

De poli, de soli qualitate, quâ nostrum gaudet GOR-
LICIUM, quid dicam? Dicam, quod res est: è rei veri-
tate loquar. Nam & polum & solum mollioris esse ac
mitioris qualitatis novimus omnes, nôrunt nobiscum,
alii: quum neque subpolaribus, neque æquinoctialibus
Terris nimum approximet. Est *longitudo* GORLICII
nostri partium seu graduum XXXII. scrupp. XXX. *La-
titud* partium s. graduum est LI. quibus in calculo suo
Mathematicus ævi sui, si qui alius esset, longè celeberrimus,
BARTHOL. SCULTETUS, XV addit scrupulos. Cæ-
terùm, ad solum Gorlicense seorsim quod attinet, non
ubique quidem id in planitiem est effusum: neque tamen
in asperiores montes ac scopulos aut arenosos colles eri-
gitur: multò minus in tristes s. steriles valles deprimi-
tur, puteis ipsum uti non paucis intra urbem effossis
ac bene munitis, ita & vivis extra eam, hisque numero
septem, qui aquas toti præbent urbi, fontibus luxurians.
Non tangam heic pomiferos, quibus in circuitu suo Gor-
license superbit solum, hortos. Tam fertilissimos mit-
tam agros, quàm ridentia passim prata: quibus exspatian-
tium prope urbem pascuntur quoque oculi. Præteribo
patentissimos, quos intra urbicam, undiqvaq; cingentem
agros, fossam Urbs nostra in Circo qu. Max. aspicit, cam-
pos, neque tam propinquos ipsos, ut oculorum radios,
veluti carcere, constringant; neque tam longè diffitos,
ut prospectus, nullis locorum terminis constrictus, in
vastitatem excurrat, nullòque consistens locò hebetetur.
Tacebo denique pisciferum, qui leniter Urbem præter-
fluit, imò & eandem alluit, amnem *Nissum*, nec non,
qui, haut ita procul Urbe elatus, per totam Lusatiam Su-
per. conspicitur, bicipitem Montem, *Coronam Regio-
nis* vulgò dictum. Tam prolixam enim talia & alia
in

in Gorlicensium solo merentur laudem: ut in brevi hæc
urbis nostræ descriptione enarrari verbis non possint,
enarrari non debeant.

Ohe verò! quæ lucem GORLICIO nostro maxi-
mè scenerant? Scenerabat ei plurimum lucis, si quæ alia
alibi Ædes, ÆDES D. PETRI-PAULI, pulcerrimum an-
te hac LXX. Annorum Opus, Opus splendidissimum, fa-
mosissimum Opus, sed faciei hodieque miserrimæ stru-
ctura. Posteaquam enim ante hunc Annum, Anno Se-
culi currentis XCImo, Die Josephi, Martii decimo nono
Die, Templum laudatum, inter tot flagrantissima præci-
puorum Tectorum incendia, Vulcanus atrocissimus du-
ris tandem ac diris modis invaserat: intus & extus ita id
deformavit ille pariterque infirmavit: ut, igne omnibus
absumptis ac concrematis ornamentis, vix sui simile esse
amplius videretur: nisi quòd reparationem sui cum DEO
& Die, prout & reparari è non minori parte dudum cœ-
pit, totalem anxie expectet, ceu Phœnix junior è favillis
ac cineribus suis lætius ac longè speciosius, imò felicissime,
exsurrecturum. Scenerat deinde multam hodiernum lucem
Urbi nostræ COENOTAPHIUM CHRISTI: quod,
ut fidem Historiæ Passionis, Mortis ac Resurrectionis Do-
minicæ rudi popello confirmaret, ad Exemplar SAN-
CTI SEPULCRI, Hierosolymis coram à se conspecti,
perq; associatum Architectum peritissimū delineati, in *Sub-
urbanis Gorlicensibus*, quæ *Nicolaitana* vocantur, non absq;
maximis impensis eleganter condidit GEORGIUS EME-
RICUS, Consul deinceps creatus, ipseque & REX GOR-
LICENSIS vulgari nomine nuncupatus. Lucem scene-
rat Urbi cum bene extracto suo Templo COENOBIUM,
ædificium admodum spatiosum, inque patente Urbis lo-
co locatum, totum infra concameratum, tegulisq; duplis
obtectum,

obtectum, Fratrum ignorantiae olim, quos *Franciscanos* vocitabant, obscurus Carcer, Musarum verò hodie sedes splendidissima, Apollineorumque Virorum Collegium spectatissimum. Lucem foenerat Urbi cum fastigiatissima turri sua CURIA, rarum ac carum canae Antiquitatis Monumentum, vel ipsius Consi Prytanèum certissimum, non ita malè in medio Urbis positum, ac dispositum: ut Sedes Prudentiae foret ac Justitiae adferam usque posteritatem firmissima. Lucem foenerant urbi reliqua, cum publica tum privata, utraque pulcherrimè extructa, Aedificia, nec non Turres item Portarum, Portae nominatim Reichenbachensis ac Nicolaitanae, celsissimae, Pyramidum instar superbè se unà cum Turri Curiae peregrè adventantibus ostentantes. PONS insuper SUBLICIUS, Sublicio Romanorum Ponti propè respondens, unà cum strata ac plana VIA REGIA, quam è gratiosissima Caroli IV. Imp. ac Bohemiae Regis laudatissimi concessione, Urbs habet, non parum ei foenerat lucis. Foenerant lucem Urbi, quos multos habet, AQUAEDUCTUS, ut & SUBTERRANEI FORICARUM MEATUS, plerique in canalem s. tubum maximum, ad Nissum usque pertinentem, ad Urbis devehendum sordes derivati. De hoc quippe sumptuoso aedificio, cujus, haut scio, an praeter Romam ipsam ulla, Urbs alia habeat simile, bene MEISTERUS, alter sui aevi Maro:

*Vidi tot sordes (si sordida digna Camenâ)
 Egestas alibi, vitiatas inficere auras:
 Unde graves morbi, gravis inclementia Caeli.
 Ergo, bonae ut sano vigeant in corpore vires,
 Hec cautum nobis. Sanos Autoribus artus
 Debemus, sanæ mentis vivumq; vigorem.*

Præte-

*Præterea ingentes arcus, serpentina terrâ
 Brachia, & obscuros tacito tegit aggere flexus.
 Hi sorbent, tota quodcunque excernitur Urbe.
 Hisce fluunt sordes rivis: quâ mœnia fossa
 Excipit, aut gelidus, quâ præterlabitur annis.
 Namque domus nulla est: quæ non, tellure refossâ,
 Et testudineo sit libera sordibus arcu.
 Credo Ego Luciferum timuere exterrita Manes
 Turba Deum: terræ foderet quum viscera fossor.
 Lunatis testudo graves umbonibus ictus
 Sustinet: injectæ ne quid labatur arena.
 Quæ se ausit nostræ componere talibus Urbi,
 Sive peregrino, seu nostro notior Orbe?*

Quid porro? Fœnerant nihilominus Urbi nostræ egre-
 gia illa ac verè regia PRIVILEGIA: quæ, aureis munita
 Bullis, sanctissimè asservantur in Curia, asservanda & ipsis
 ipsa posteris, si qui futuri, serissimis. Maximam verò
 omnium denique lucem Urbi ORTHODOXA fœnerat,
 RELIGIO, admodum fideli B. Theandri nostri, *LUTHE-*
Ri, ministeriò à fermento Papistico repurgata, ad normam
 Pandectarum Sacrarum conformata, atque ab Anno su-
 perioris Seculi vicesimo quinto ad præsens usque, idque
 paulatim decurrens, Seculum, etsi non ita purè semper,
 juxta invariata Confessionem August. per longè meri-
 tissimos Verbi Præcones denunciata.

Conferte mihi, si jam placeat Vobis, L. B. oppi-
 dula heic ac gurgustiola: tranquillissima licet illa sint,
 ac pacatissima! Falsus sim: nî locum hunc amplissi-
 mum, tanquam certissimam fortunarum omnium sedem,
 prætuleritis. Splendorem eqvidem Urbis ac dignita-
 tem, quâ velut lumen majus minora obfuscat, silentiò
 veneror: utilitatem tamen, ad cujus decempedam metiri

B

omnia,

omnia, eaqve mensa deinceps aestimare solemus omnes, ponderandam altiùsqve excutiendam Vobis relinquo. Quid enim? Nonne major in ejusmodi Urbibus, ut GORLICIUM nostrum est, occurrit securitas? Nonne rerum omnium, quocunqve necessitatis casu emergente, ibidem loci est sufficientia? Nonne facilius, tot manibus se invicem lavantibus, & victus & amictus comparandi est ratio? Nonne major ibi morum est civilitas? Loqvuntur pro me mœnia Urbis & castella munitissima, portæ firmissimæ, fossæ satis profundæ: loqvuntur item pro me, ut commodus Urbis situs pisciferiqve Amnis allapsus, itaqve agrorum circumjacentium fertilitas, circumjacentium hortorum ubertas, indeqve exurgens rerum venalium omnium abundantia: loqvitur civium nostrorum comitas æqve ac urbanitas, gravitate tamen quâdam utraqve temperata.

Esto autem: quòd in Hexapolitano hoc Agro uno atqve altero axioma nostrum anteeat GORLICIUM Metropolis famigeratissima BUDISSA; quòd anteeat illud splendidissima opulentissimaqve Lusatiæ Urbs, contermina & ipsa Bohemiæ, ZITTAVIA: tot tamen in urbe utraqve non concurrunt axiomata laudis: ut, si junctim, non figillatim, sumantur omnia, abundè satis inveniri queant, quæ Urbi utriqve unum opponere possit GORLICIUM. Non evagabor heic extra Lusatiæ quoq; nostræ fines ad Silesios, vel ad Bohemos finitimos, multò minus ad paulò remotiores Austriacos, Urbesqve illorum omnium huc traham nobiliores, WRATISLAVIAM n. PRAGAM, & VIENNAM, Augustam Augusti Sedem. Nec quicquam enim GORLICIO nostro deest: de quo gloriari, superbire ac triumphare illud non possit. Bene quondam Magister Artium ac Pœta laureatus, VAL. POLIDAMUS, de Urbe nostra: Hæc

*Hæc Urbs immensum volitat famosa per Orbem,
 Gente potens, Gazisque gravis, Mavorte feroci
 Pollens: quàm felix pecorum felixque ferarum:
 Thracum frugiferis Arabumque feracior arvis,
 Ac frugum nutrix patulisque ornata viretis,
 Ingenti muro circumdata, turribus altis
 Ornata, immenso & vario munimine fulta,
 Letaque gramineis pratis, & pingvibus hortis,
 Et nulli terræ frugum bonitate secunda.*

Rem per partes latiore, quod dicunt, filô ut diducam, superforanei laboris esse duco ac dico. Perinde enim foret: ac si in Sole positis facem præferrem, aut accensu luminum diei claritudinem adjuvare studerem. Imò & actum agere, quod Parcæmiastis est *Iliada scribere post Homerum*, ego fortè viderer: si pomposo verborum apparatu, aut ambitioso circuitu, inclytum GORLICHIUM per partes omnes πρὸς τὰ ἕξαρα extollerem, multisq; verborum lenociniis ac fucis applausum mihi aucuparer. Profectò enim si Curiam, si Tempia, si Coenobium, si celsissimas Turres, si Mœnia, quorum cingentium Urbem ambitus 3680. ulnarum esse censetur, si Munitiones, si Ædificia, si Cenotaphium S. & adjacens huic S. Crucis Sacellum, si Aquæductus, si Hortos, si Agros, aliaque plura, quæ intra & extra urbem longè lateque in oculos sese insinuant, cum voluptate intueamur: Cœlô ipso, quum sudum est, clariùs patefcet, palmarem hanc optimo optimi Juris Titulô GORLICHO nostro congruere laudem: ut cæterarum Urbium Lusaticarum præstantissima putetur, æstimetur, salutetur.

Quod unum superest, in brevi hac, nec planè tamen levi Urbis nostræ Descriptione DEUM per bonitatem Optimum, per potestatem Maximum, unicum Provinciarum ac Urbium Tutelarem, calidis ac validis, quibus quidem

96 1120 01
& capiendis & faciendis mentiū nostrarum angustiae pares esse possunt, suspiriis ducti tandem invocamus: ut, posteaquam GORLICIUM hoc in nuperrimo incendio, incendiiorum omnium, quotquot per V. Seculorum decursum heic loci extiterunt, gravissimo, vehementissimo, non penitus absumptum, sed maximam partem cum celeberrimo suo Templo instaurari cœpit, beneficia sua, è sinu tam largo desuper collata, non incolis tantum Urbis, sed & toti Provinciæ, jubeat esse perpetua. Idem & Clementissimum Cœli Numen misericordiae suæ alis totam Rempublicam nostram, nostram in ea Ecclesiam, Curiam nostram, nostram Scholam, Familias nostras, & imperantes & parentes, & docentes & discentes, maximos ac minimos cives, primæ & imæ caveæ Viros, obumbret, optimam illam rerum, quas nosse datum hominibus, *PACEM* sub Novello Saxoniae Electore, *Serenissimo & Potentissimo* Principe ac Domino, *DNO JOHANNE GEORGIO IV.* Sponso hodie Celsissimo, diutiùs conservet, Patrumq; ac Civiū *CONCORDIAM*, quâ res parvæ crescunt, maximæ dilabuntur, redintegratam stabiliat, sævissimi verò Vulcani rabie factam jacturam largissima benedictione resarciat, uno ore ac corde precamur universi, precamur singuli. Atq; id quidem ut fiat, utq; & ille malorum omnium Avertuncus, *DEUS* ipse, fortunam, cum igne flagrantissimo interruptam, tum & pariter Theonino dente intercisam, bonitate causæ rectè cognitâ, integritati suæ clementissimè restituat: vitam, Verbo divino sæpe correptam, corruptosque & mores nostros, verâ ac seriâ pœnitentiâ emendemus, vinculoque quasi firmissimo juncti *PACEM* intra & extra Urbis muros teneamus ac *CONCORDIAM*.

SCRIPSI.

✽(o)✽

✽(o)✽

1077

1120

Q. 147, 3.

GO

AGH

D

DEB
SED S
PER
APHT

PANEC

ANN
P

CHR

GORI

II,

UTI
TU

ANA,

O,

S.

Y b
1020

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

